



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola VI. Gregorii Papae I. Ad Evsebivm Archiepiscopvm  
Thessalonicensem. De pacis laudibus. Et de Luca & Petro haereticis, qui  
Concilium Calchedonense reiiciebant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA VI.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVSEBIVM ARCHIEPISCOPVM  
THESSALONICENSEM.

De pacis laudibus. Et de Luca & Petro hæreticis, qui  
Concilium Calchedonense reiiciebant.

*Gregorius Eusebio archiepiscopo Thessalonicensi.*

**S**i quam magna sit, frater carissime, pacis virtus attendimus, quo a nobis studio sit colenda agnoscimus. Hanc quippe Dominus & Redemptor noster in magno munere discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, ut eos qui firmitate ei fidei cohærebant, per hanc sibi pia faceret participatione confortes. Scriptum namque est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. Quisquis ergo patris heres esse desiderat, filius existere, hanc custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profecto tanti se muneris exortem esse constituit. Cum igitur fidei tuæ sinceritas catholica nobis, vt oportuit, Deo propitio sit rectitudine declarata; magna nimis admiratione suspendimur, vt eos quos bene credere, & recte sentire cognoscis, frustra quorundam scandalizari vitio patiaris, vt aliorū culpa fraternitatis tuæ fuscetur opinio. Nam quomodo sine erroris suspicione sit qui patientiam præstat erranti? Aut quam de se æstimationē præbeat, si ea quæ feruor fidei postulat, aperta purgari satisfactione non præuidet? Fertur siquidem Lucam presbyterum tuum & Petrum Calchedonensem Synodum nolle suscipere, atque ex hoc filiorū tuorum orthodoxorū corda non leui scandolet perturbari. Quorum quia zelus non solum laudandus, verum etiam omnino fouendus est, hortamur te vt cum omni viuacitate ac solicitudine fraternitatis hoc vestræ rimari cura non desinat. Et si in hac eos fontes prauitate repererit, scandalum de filiorum suorum mentibus habita eorum satisfactione remoueat, atque inter omnes hæreses specialiter Seuerum ac Nestorium anathematizent, vt quibus sinistra de eis suspicio genuit discessionem, amor fidei remoueat, gignatque purificatio caritatem. Et salubriter unus concordiæ nectat affectus, quos catholicæ sincera & vna tenet confessio veritatis. Nec satisfactio dubitantibus æstimetur indigna, quia

*Concil. Tom. 13.*

K k k

*Math. 18.* dominica voce præcipitur: *Ne contemnatis unum ex his minimis.* Qui ergo non despici a præcipiente desiderat, præceptoris verba non renuat: quia & is quem vas electionis Redemptor sibi noster testatus est esse, seruare nos unitatem spiritus in vinculo pacis admonuit. Vnde quisquis hoc se teneri salutis vinculo non recusat, quæ sunt pacis studiat, & locum hosti non præbeat, ut facta fortius valeat unitate calcari, qui in fratrum sœua poterat diuisione græfari. Si vero, quod non optamus, erroris huius deprehenduntur iaculo vulnerati, ecclesiasticae adhortationis est eis adhibenda curatio, ut aut inter oues dominicas, si sanati fuerint, permaneant, aut ab unitate ecclesiastici corporis excidantur; quatenus & magnum ex damno modico lucrum fiat, & totum faciat liberum pars amissa. Nam & prouidi sollicitudo pastoris ouem languidam quæ curationem non recipit, ne alias languoris sui labore contaminet, a sanarum consortio non differt eiicere, sciens ceterarum se sanitatem non aliter nisi huius posse electione seruare. Proinde iterum fraterna caritate commoneo, ut summa hoc vigilancia perscrutari, & summo quæ scripsimus seruare studio debeatis, ne rectam fidem quam geritis, dubiam aliorum consortio faciatis. Nam qui non corrigit refecanda, committit. Itaque magna vobis solitudine, magna omnino prouisione pensandum est, ut nec aliis eorum persona scandalum, nec vobis opinio sit nocua, quatenus tanto fraternitati vestræ de commissis ouibus pastoris lucra proficiant, quanto vos ad earum custodiam & sincera dilectio & credita fecerit cura solicitos.

## EPISTOLA VII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

De Grauiniæ abbatissæ sacramento.

*Gregorius Januario episcopo Calaritano.*

*Grat. 19. q.  
3.c. Qui in  
gredienti-  
bus.*

**Q**VIA ingredientibus monasterium conuertendi gratia ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iuris fiant, aperta legis definitione decretum est. Quod cum pene omnibus notum sit, in magnam nos Grauiniæ abbatissæ monasterii sanctorum